

Neunter Jahresbericht

des

k. k. Staats-Gymnasiums in Ried

am Schlusse des Schuljahres 1879|80.

- I. De infinitivi apud Horatium usu. Von Dr. Heinrich Dittel,
k. k. Professor.
- II. Ueber einen Versuch in Betreff der Influenzmaschine, Von
Dr. Th. Rellig.
- III. Schulnachrichten vom Director.

(Verlag des k. k. Gymnasiums.)



De infinitivi apud Horatium usu.

Infinitivum substantivum duorum casuum, nominativi et accusativi esse apud omnes constat, quam eius definitionem nostrae infinitivi Horatiani descriptioni snbesse volumus. Locos igitur quibus in Horatii libris infinitivus legitur, ad unum omnes collegimus collectosque indice editionis Benteleianae duce perlustravimus atque secundum definitionem, quam supra dedimus, segregavimus sic statuentes intra artos fines, quibus nostram circumscripsimus tractationem, librorum unius poetae, locum non esse eiusmodi quaestionibus de origine infinitivi, quales instituunt Josephus Eidenschink (progr. Passau 1877) et Christianus Jänicke (progr. Oberhollabrunn 1874), ille in describendo infinitivo Corneliano, hic Vergiliano quippe quas institui non posse putamus nisi universo infinitivi usu explorato et pertractato, sed consilio, quod in conscribenda tractatiuncula nostra secuti sumus, plane nobis visum est sufficere locos omnes exhibere Horatianos praeter nonnulla verba usitatoria quorum breviorum conspectum dedimus. Deinde non alienum putavimus, saepius infinitivum Horatianum comparare cum Vergiliano, Ovidiano, quos descripserunt illum copiose et subtiliter Steltzer (progr. Nordhausen 1875), hunc tenuiter maximamque partem modo per exempla Trillhaas (progr. Erlangen 1877), Lucretiano, aliis; ad quem finem haud raro Draegeri quoque Latinae linguae syntaxin historicam inspeximus. Textum denique exhibuimus editionis Luciani Müller; praeterea praesto nobis fuerunt editiones, quas curaverunt Bentley, Dillenburger, Orelli, Doederlein, Nauck, Krueger, Schuetz, Haupt, Fritzsche, Keller et Holder. Quibus praemonitis nobis liceat transire ad infinitivi Horatiani descriptionem ipsam.

A) De infinitivo vi nominativi praedito.

Infinitivus vi nominativi praeditus apud Horatium non legitur nisi subjecti locum tenens, nunquam praedicati ut apud Ciceronem Tusc. 5, 38, 111: loquor enim de docto homine et erudito, cui vivere est cogitare (G. T. A. Krueger gramm. lat. linguae p. 627), apud Ovidium A. A. 3, 366: parva tabella capit ternos utrimque lapillos, in qua vicisse est continuasse suos; ex P. 4, 2, 13: mittere carmen ad hunc frondes erat addere silvis. (Met. 5, 519: si reperire vocas amittere certius, aut si scire, ubi sit, reperire vocas), Met. 13, 670: si miro perdere

more ferre vocatur opem (cf. Trillhaas p. 7); apud Lucretium 3, 359—361: dicere porro oculos nullam rem cernere posse... desipere; alia exempla affert Draeger synt. hist. 2, 2, p. 349. Redeamus igitur ad enumerationem locorum apud Horatium illorum, quibus infinitivus enuntiationis alicuius subjectum est.

I. Infinitivus merus

a) conjungitur cum praedicato adjectivo. Recepto dulce mihi furerest amico. Carmen 2, 7, 28; dulce et decorumst pro patria mori. C. 3, 2, 13; dulcest desipere in loco. C. 4, 12, 28; Romae dulce diu fuit et solemne reclusa mane domo vigilare. Ep. 2, 1, 103; suavest ex magno tollere acervo. S. 1, 1, 51; cui pulchrum fuit in medios dormire dies. Ep. 1, 2, 30; ut melius (scil. est), quidquid erit, pati. C. 1, 11, 3; meliusne (sc. mihi) fluctus ire per longos fuit an recentes carpere flores. C. 3, 27, 44; melius non tangere clamo. S. 2, 1, 45; ni melius dormire putem quam scribere versus. Ep. 2, 2, 54; quanto rectius hoc quam tristi laedere versu. S. 2, 1, 21; bonam deperdere famam, rem patris oblinare malumst ubicumque. S. 1, 2, 62; quod magis ad nos pertinet et nescire malumst. S. 2, 6, 73; deprendi miserumst. S. 1, 2, 134; pila lippis inimicum et ludere crudis. S. 1, 5, 49; quia turpe putant parere minoribus et quae in imberbi didicere, senes perdenda fateri. Ep. 2, 1, 85; mihi turpe relinquist et quod non didici sane nescire fateri. Ep. 2, 3, 417; aequumst peccatis veniam poscentem reddere rursus. S. 1, 3, 74; sapere est abiectis utile nugis. Ep. 2, 2, 141; mansuri oppidulo, quod versu dicere non est, signis perfacilest. S. 1, 5, 87 et 88; difficile est proprie communia dicere. Ep. 2, 3, 128; contendere durumst cum victore. S. 1, 9, 42; si puerilius his ratio esse evincet amare. S. 2, 3, 250; quem tu vidisse beatus non magni pendis (= quem tu vidisse beatus non magnum esse putas.) S. 2, 4, 93, contra: magnum hoc ego duco, quod placui tibi. S. 1, 6, 63;

b) Subjectum enuntiationis est infinitivus, praedicatum pronomen aliquod: non est meum ad miseras preces decurrere et votis pacisci. C. 3, 29, 57—59; inquiram quid sit furere. S. 2, 3, 41.

c) Subjectum enuntiationis est infinitivus, praedicatum genitivus substantivi alicuius: natis in usum laetitiae scyphis pugnare Thracumst. C. 1, 27, 1 et 2; miserarumst neque amor dare ludum. C. 3, 12, 1; si male rem gerere insanist, contra bene, sani. S. 2, 3, 74.

d) Subjectum enuntiationis est infinitivus, praedicatum nominativus substantivi alicuius: fas mihi est cantare. C. 2, 19, 9—11; nec scire fas est omnia. C. 4, 4, 22; sit ius liceatque perire poetis. Ep. 2, 3, 466; scire nefas. C. 1, 11, 1; levius fit patientia, quidquid corrigere nefas est. C. 1, 24, 20; antehac depromere Caecubum cellis avitis. C. 1, 37, 5; et peccare nefas aut pretiumst mori. C. 3, 24, 24; ultra quam licet sperare nefas putando. C. 4, 11, 30; nefas videre. Ep. 16, 14; redire sit nefas. Ep. 16, 26; immanest vitium dare millia terna macello. S. 2, 4, 76; quos opimus fallere et effugerest triumphus. C. 4, 4, 52, principibus placuisse viris non ultima laus est. Ep. 1, 17, 35; quae virtus et quanta sit vivere parvo. S. 2, 2, 1; virtus est, vitium fugere et sapientia prima stultitia caruisse. Ep. 1, 1, 41; fuit haec sapientia quondam, publica privatis secernere... Ep. 2, 3, 396—399; scribendi recte sapere est principium et fons. Ep. 2, 3, 309; sunt quibus unum opus est (= quorum unum opus est) intactae Palladis urbem... celebrare et praeponere. C. 1, 7, 5—7; hoc loco opus substantivum declinabile est; indeclinabile legitur duobus locis, uno cum infinitivo mero: opus est, imperitare equis. C. 1, 15, 25; altero legitur structura accusativi cum infinitivo: nihil opus est te circumagi. S. 1, 9, 16; audirest

operae pretium. S. 1, 2, 37; est operae pretium duplicis pernoscere iuris naturam. S. 2, 4, 63; est operae pretium cognoscere. Ep. 2, 1, 229; dulce periculumst sequi deum. C. 3, 25, 18; post hoc ludus erat culpa putare magistra. S. 2, 2, 123; ornare pulvinar deorum tempus erat. C. 1, 37, 3 et 4; tempus abire tibist. Ep. 2, 2, 215; nil admirari prope res est una solaque, quae possit facere et servare beatum. Ep. 1, 6, 1 et 2 (= unum solumque admirari potest facere et servare beatum); hic murus aheneus esto: nil conscire sibi, nulla pallescere culpa. Ep. 1, 1, 61 (subjectum nunciati sunt infinitivi: „conscire, pallescere“, quos pronomen „hic“ secundum legem grammaticam substantivo praedicato „murus“ accomodatum, praenuntiat); nulla sit potior hac sententia... ire, pedes quocumque ferent. Ep. 16, 17—21; hic locus cum eius sensus sit: „ire... est omnium potissimum“ proprie accedit ad illos, quos sub littera a) apposuimus.

e) Infinitivus, subjectum enunciati, conjungitur cum verbo aliquo praedicato: neu conversa domum pigeat dare lintea. Ep. 16, 27; nec luisse pudet... Ep. 1, 14, 36; spissis indigna theatris scripta pudet recitare. Ep. 1, 19, 42; poenitet nullo quatuor locorum quibus apud Horatium legitur, cum infinitivo junctum est; taedet, miseret plane desunt (semel: miserari. C. 2, 3, 24); decet caput impedire myrto... C. 1, 4, 9—11; sacrare decet. C. 1, 26, 12; ferre decet. Ep. 1, 9; dumque virent genua et decet, obducta solvatur fronte senectus. Ep. 13, 5; quoniam vacuis committere venis nil nisi lene decet. S. 2, 4, 26; quo tandem pacto deceat maioribus uti. Ep. 1, 17, 2; quam nec ferre pedem dedecuit horis. C. 2, 12, 17; ita commendare dicaces conveniet Satyros. Ep. 2, 3, 226; oportet: vivere naturae si convenienter oportet. Ep. 1, 10, 12; necesse est et cum infinitivo et cum conjunctivo binis tantum locis legitur: ire necessest. S. 2, 6, 26; si forte necessest indicis monstrare recentibus abdita rerum. Ep. 2, 3, 48; fateare necessest. S. 1, 3, 111 (qua conclusione versus Horatius Lucretium imitatur cf. 1, 399, alios innummerabiles paene locos, quibus Lucretius verbo necessest sive cum conjunctivo sive cum infinitivo alius verbi juncto similem in modum quo Horatius loco apposito atque eadem versus parte utitur), in singula, quem minuas pulmenta necessest. S. 2, 2, 34; non cuivis homini contingit adire Corinthum. Ep. 1, 17, 36; Romae nutriri mihi contigit atque doceri. Ep. 2, 2, 41; fingere cinetutis non exaudita Cethegis contiget. Ep. 2, 3, 51; quo mihi fortunam si non conceditur uti. Ep. 1, 5, 12 (quo loco infinitivus subjectum verbi passivi est, quod apud Horatium alias non invenitur, aliquoties apud Ovidium, vide infra). licet α) cum infinitivo: cui licet in diem dixisse. C. 3, 29, 42; ultra quam licet sperare nefas putando. C. 4, 11, 30; nunc mihi curto ire licet mulo. S. 1, 6, 105; nunc licet Esquiliis habitare. S. 1, 8, 14; licet antestari. S. 1, 9, 76; ergo consulere et mox respondere licebit. S. 2, 3, 192; liceat concedere veris. S. 2, 3, 305; quandoque licebit... ducere sollicitae iucunda obliviae vitae. S. 2, 6, 60—62; impune licebit sermone tendere noctem. Ep. 1, 5, 10—11; licet sub paupere tecto reges et regum vita praecurrere amicos. Ep. 1, 10, 32; licuit semperque licebit signatum praesente nota producere nomen. Ep. 2, 3, 58—59; delere licebit, quod non edideris. Ep. 2, 3, 389; sit ius liceatque perire poetis. Ep. 2, 3, 466; nomen praedicatum dativo objecti accomodatum duobus tantum locis legitur: atque licet esse beatis. S. 1, 1, 19; quaque modeste munifico esse licet. S. 1, 2, 51; infinitivus suppleri debet his locis: nigrorum memor dum licet (scil. miscere), ignium misce stultitiam consiliis brevem. C. 4, 12, 26; quid tamen ista velit sibi fabula, si licet, ede. S. 2, 5, 61; quo, bone circa, dum licet (scil. beatum vivere) in rebus iucundis vive beatus. S. 2, 6, 96; dum licet Romae laudetur Samos. Ep. 1, 11, 21; verbum licet cum modo coniunctivo iunctum tribus locis legitur: licebit iniecto ter pulvere curras. C. 1, 28, 36; sis licet felix. C. 3, 27, 13; tollas licet. Ep. 1, 16, 76; quibus secundum textum editionis Luciani Müller addendus est. C. 3, 24, 3; qui locus secundum

dum omnes alias editionis, quae mihi praesto sunt, addendus est illis, quo „licet“ vi verbi emissa conjunctionis vice fungitur: Ep. 4, 5; 15, 19; S. 1, 2, 81; 2, 2, 59; Ep. 1, 17, 59; 2, 3, 459. est haud raro apud poetas et scriptores pedestris orationis posteriores vim verbi impersonalis cum infinitivo iuncti usurpat; cf. quae Forbiger ad Verg. Georg. 4, 447 et Fritzsche ad Hor. 2, 5, 103 docent; apud Horatium invenimus: neque est levare tenta spiritu praecordia. Ep. 17, 25; Cois tibi paene viderest ut nudam. S. 1, 2, 101; mansuri oppidulo quod versu dicere non est, signis perfacile est. S. 1, 5, 87; e rest (Fritzsche, alii: est) gaudia proidentem voltum celare. S. 2, 5, 103; est quadam prodire tenus. Ep. 1, 1, 32 (Orelli: „licet“ progredi usque ad certum terminum quandam; Fritzsche ad S. 2, 5, 103: „est“ ut „ἔστι“ (Aristoph. Nub. 251. Plut. 286) *ἔστιν, ἐκρίπτεται*), ex Ovidio affert Trillhaas p. 6. hos locos: A. A. 2, 447; Fast. 2, 765; Trist. 1, 2, 110; 3, 4, 55 (quibus ex hoc opere Ovidiano adicio: 3, 12, 25; 5, 11, 19) ex P. 4, 15, 25; Met. 3, 478. cf. Draeger, qui Horatium plane silentio praetermittit, synt. hist. 2, 2. p. 293 et 294, quo pertinet ergo proceros odisse lupos. S. 2, 2, 35; quorsum pertinuit stipare Platona Menandro. S. 2, 3, 11; haud recte igitur Draeger 2, 2, p. 340: „pertinet“ steht mit blossen Infinitiv nur bei Cornif. ad Her. 4, 27. Sonst mit Acc. c. Inf. ire tamen restat, Numa quo devenit et Ancus. Ep. 1, 6, 27; contra: restat, ut . . . regam. Ep. 1, 1, 27; an tibi abunde personam satis est, non illud, quidquid ubique officit evitare. S. 1, 2, 60; neque enim concludere versum dixeris esse satis. S. 1, 4, 41; non satis est, puris verum perscribere verbis. S. 1, 4, 54; nec satis est cara pisces averrere mensa. S. 2, 4, 37; nequaquam satis in re una consumere curam. S. 2, 4, 48; jamne doloso non satis est Ithacam revehi. S. 2, 5, 4; satis est orare Jovem. Ep. 1, 18, 111; haud raro ut in nostro sic in latino sermone *πρότασις* conditionalis locum infinitivi usurpat; apud Horatium: mi satis est, si vitam famamque tueri possum. S. 1, 4, 116—119; cf. C. 1, 1, 8—9; ut mihi devio ripas et vacuum nemus mirari libet. C. 3, 25, 14; libet iacere . . . Ep. 2, 23; nunc mihi curto ire licet mulo vel si libet usque Tarentum. S. 1, 6, 105; quacumque libidost (= libet), incedo solus. S. 1, 6, 112; scitari libet. Ep. 1, 7, 60; sive flamma (scil. modum ponere iambis) sive mari libet Hadriano. C. 1, 16, 4; cui libet, hic fasces dabit. Ep. 1, 6, 53; ut libet. Ep. 1, 7, 19; nec tibi prodest aeras temptasse domos animoque rotundum percurrisse polum. C. 1, 28, 4—6; quid proderat ditasse Paelignas anus. Ep. 17, 60; quaerere plus prodest et inane abscindere soldo. S. 1, 2, 113; quo tibi, Tilli, sumere depositum clavum fierique tribuno. S. 1, 6, 25; iuvat . . . C. 1, 1, 3—9 (hoc loco praeter infinitivum duae enuntiationes conditionales subjecti vice funguntur (hunc scil. iuvat, si . . . certat, illum se. iuvat, si . . . condidit). et ture et fidibus iuvat placare deos. C. 1, 36, 1; insanire iuvat. C. 3, 19, 18; nec certare iuvat meo nec vincere novis tempora floribus. C. 4, 1, 32; iuvat pastas oves videre properantes domum. Ep. 2, 61; curam metumque Caesaris rerum iuvat dulci Lyaeo solve. Ep. 9, 37; nihil me siout antea iuvat scribere. Ep. 11, 1 et 2; iuvat tigres subsidere cervis. epod. 16, 31; quid iuvat deponere. S. 1, 1, 41; an vigilare metu exanimem . . . hoc iuvat. S. 1, 1, 76—78; quid te iuvat vivere. S. 2, 6, 90; perfundi nardo iuvat. Ep. 13, 9; iuvat legi manibusque teneri. Ep. 1, 19, 33; expedit matris cineres opertos fallere. C. 2, 8, 9 et 10; me pedibus delectat claudere verba. S. 2, 1, 28 (sic usurpatum legimus delectare apud Ovidium: sed quia delectat Veneris decerpere fructum. R. A. 103, nusquam in Vergilii libris); aedificare casas, postello adungere mures, ludere par impar equitare in arundine longa si quem delectat barbatum. S. 2, 3, 247—249; Veneri placet impares formas atque animos sub juga mittere. C. 1, 33, 10; res gerere et captos ostendere civibus hostes attingit solium Jovis. Ep. 1, 17, 33—34; adjuvat hoc quoque, sed vincit longe prius ipsum expugnare caput. S. 2, 5, 74.

Infinitivum, quum subjecti enuntiationis vice fungitur, in prosa oratione praeter verbum substantivum „esse“ cum impersonalibus jungi constat (vide quod Madvigius in gramm. lat. §. 388, a) adnot. docet); ab hac lege Horatii dictionem neque saepe neque longe aberrare ex collectione omnium locorum, quam supra dedimus facile apparet; nam in exemplis insolitae orationis ex Horatii libris modo numerari possunt. Ep. 1, 17, 33—34; S. 2, 5, 74, ubi infinitivus cum verbo transitivo iunctus legitur; plane verbi natura exit infinitivus, quum aut verbum transitivum cum infinitivo subjecti locum tenente iunctum accusativum objecti regit, quod praeter locum illum Horatianum (Ep. 1, 17, 33 et 34) apud Sallustium quoque legitur: hos omnes eadem cupere, eadem odisse, eadem metuere in unum coegit Sall. Jug. 31 apud Ovidium celeberrimo illo loco librorum ex Ponto 2, 9, 47: didicisse fideliter artes emollit mores nec sinit esse feros, aut infinitivus, subjectum enuntiati, cum verbo passivo jungitur, ut apud Ovidium legimus: atque emitur magno nil, nisi posse loqui. A. A. 2, 626, posse loqui eripitur. Metam 2, 483.

Uno loco S. 1, 6, 24: quo tibi, Tilli, sumere depositum clavum fierique tribuno, infinitivus subjectum interrogationis ellipticae est; nam supplendum est: profuit (Fritzsche) tametsi aliis locis eius generis accusativus substantivi legitur; apud nostrum: unde mihi tam fortem tamque fidelem. S. 2, 5, 102; 2, 7, 116 (vide quae Fritzsche ad hos duos locos adnotavit), quo mihi fortunam, si non conceditur uti. Ep. 1, 5, 12; apud Ovidium: quo mihi fortunam, quae nunquam fallere curet. Amores 2, 19, 7. Illi loco Horatiano (S. 1, 6, 24) ex Ovidio adicere possumus: quo tibi, Pasiphae, pretiosas sumere vestes. A. A. 1, 303; quo tibi, turritis incingere moenibus urbes? quo tibi, discordes addere in arma manus. Amores 3, 8, 47 et 48; quo tibi formosam, si non nisi casta placebat. Amores 3, 4, 41. (cf. Trillhaas p. 7, G. T. A. Krueger gramm. lat. §. 662 c.)

II. Accusativus cum infinitivo

subjecti enuntiationis locum tenens jungitur a) cum adjectivo praedicati: nec dis amicumst nec mihi te prius obire. C. 2, 17, 3; huc juvenes aequumst descendere. S. 1, 2, 34; scribere te nobis, tibi nos accredere par est. Ep. 1, 15, 25; verumst. S. 2, 3, 312 et Ep. 1, 7, 98; pro accusativo cum infinitivo legitur „quod.“ S. 1, 10, 20: at magnum fecit, quod verbis Graeca Latinis miscuit. (= at magnum est, illum verbis Graeca Latinis miscuisse).

b) verum operi longo fas est obrepere somnum. Ep. 2, 3, 360; nil opus est te circumagi. S. 1, 9, 17; verum esto aliis alios rebus studiisque teneri. Ep. 1, 1, 81; sit tibi curae quantae conveniat (scil. curae illum tibi esse). Ep. 1, 3, 30; quid attinet tot ora navium . . . duci contra . . . Ep. 4, 17; te nihil attinet temptare multa caede bidentium . . . deos. C. 3, 23, 13—16; nam satis est, equidem mihi plaudere. S. 1, 10, 76; non satis est pulchra esse poemata. Ep. 2, 3, 99; quid oportet vos facere? S. 1, 6, 17; nam te scire oportet. S. 2, 6, 52; cum conjunctivo: valeat possessor oportet. Ep. 1, 2, 49.

B) De Infinitivo accusativi vi praedito.

1. Infinitivus merus.

Enumerationi verborum illorum, quae apud Horatium cum infinitivo iuncta leguntur, nobis praemittere liceat unum memoratu dignissimum locum. S. 2, 5, 69: invenietque nil sibi legatum praeter plorare suisque, ubi interpretores fluctuant, utrum „praeter“ pro praepositione habeant, ut Fritzsche (vide quod doctissimus ille vir ad hunc locum adnotat) an pro adverbio, ut Orelli, et si hic cum Dillen-

burgero, qui de hac re plane tacet, hanc poëtae nostri dictionem cum Graeco *χορὴς τοῦ κλαίειν, οἰμώζειν* confert, ex Ovidio Heroid. 17, 162 affert: nil illi potui dicere praeter erit; cui loco ex Trillhaasii de Ovidiano infinitivo commentatione adicio: quod crimen divis praeter amasse meum? Her. 7, 164; quod faciam, superest praeter amare nihil. ibid. 18, 16; nil praeter salices cassa quae canna fuit. Fast. 6, 406. Maximam difficultatem praebere videtur ultimus ex libris Pastorum allatus locus, ubi accusativus „salices“ et nominativus „cassa canna“ ab una eademque particula „praeter“ dependent, cui cum illo juncta nihil aliud nisi praepositionis ad hoc revocato adverbii vim attribuere possis; si quis vero reputaverit, omnibus allatis locis sensum enuntiationis negativum esse, haud dubitabit, praeter pro adverbio „nisi“ accipere (cf. Krebs Antibarbarus edit. 4, s. v. praeter p. 766) neque cum Madvigio gramm. lat. §. 391 adnot. cum infinitivo cum praepositione „inter“ juncto comparabit. Verba, quae in Horatii libris cum infinitivo mero juncta leguntur, sunt haec:

possum . . . Huius verbi cum infinitivo praesentis activi junctae hae leguntur formae: possum, potes (C. 3, 17, 13: potis), potest*, possunt, poteris, potuit, potuere, potero, poteris, poterit, poterunt, possim, possis, possit, possint, possem, posses, posset, possent, posse circiter centum locis, cum infinitivo perfecti activi uno loco: poteris dixisse. Ep. 2, 3, 328; cum infinitivo praesentis passivi leguntur poterat, poterit, possit, posset, possent, posse, potuisse duodecim locis; cum adjectivo vel pronomine neutro junctum his locis legitur: nam quid potuere maius. C. 3, 11, 30; quid possim, videt. Ep. 1, 9, 6; quid sapientia possit. Ep. 1, 2, 17; quid contra aegida possent ruentes. C. 3, 4, 58; melius te posse negares. Ep. 2, 3, 439.

queo. eripe turpi colla jugo, „liber, liber sum“ dic age! Non quis. S. 2, 7, 92 . . . („quis“ legitur apud Lucretium quoque 1, 751: quae cernere non quis; tertiam verbi personam quae in Horatii libris non extat, invenimus in versu Enniano: „qui ipse sibi prodesset non quit, nequicquam sapit“ quem Cicero (ad Fam. 7, 6 et de off. 3, 15) nobis tradidit, et apud Lucretium 3, 552. 644); ut haurire queam S. 2, 4, 95; quibus amissas reparare queam res artibus atque modis. S. 2, 5, 2; qua ratione queas ditescere. S. 2, 5, 10; qua ratione queas traducere. Ep. 1, 18, 97; quae defendere queat. S. 1, 3, 15; ut raro reperire queamus. S. 1, 1, 119; unde expedire non amicorum queant consilia. Ep. 11, 25. De dictione „non queo“ pro: „nequeo“ posita vide Krebs Antibarbarus. 4. ed. p. 820 s. v. queo.

nequeo dormire. S. 2, 1, 7; servare vices . . . si nequeo ignoroque. Ep. 2, 3, 87; nequit consistere. S. 1, 1, 107; tacere qui nequit. S. 1, 4, 85; nequiere depellere. S. 2, 5, 78; nequeas perferre. S. 2, 2, 59; nequeant contingere. S. 2, 4, 87; nequeunt excidi. S. 1, 3, 77; sumi nequeunt. S. 2, 7, 106.

valeo cum infinitivo junctum poetico sermoni proprium est atque jam apud Lucretium haud raro legitur: 1, 108, 603, 630; 3, 257 [Lachmann: „retinemu“ valentes], 1086, 5, 58; 6, 1055; apud Horatium: inteream, si vales stare. S. 1, 9, 39; valet ima summis mutare. C. 1, 34, 12; nondum ferre jugum valet. C. 2, 5, 1; nec Lethaea valet Theseus abrumpere vincula Pirithoo. C. 4, 7, 27; cotis acutum reddere quae ferrum valet. Ep. 2, 3, 305; venena non valent convertere humanam vicem. Ep. 5, 87; loquacem delassare valent Fabium. S. 1, 1, 14; ursus . . . caveae valuit si frangere clathros. Ep. 2, 3, 473; quam neque valuerunt perdere Marsi. Ep. 16, 3; externi nequid valeat per leve morari. S. 2, 7, 87; quid ferre recusent, quid valeant humeri. Ep. 2, 3, 40; itemque apud Ovidium; ratio fatum vincere nulla valet. Trist. 3, 6, 18; Fast. 1, 337; Metam. 9, 434.

*) Liceat nobis adnotare lapsum typographicum, unum quem invenimus indicis editionis Benteleianae a Zangermeistero admirabili diligentia summaque accurate confecti; legendum est enim „trahit quodcumque potest. S. 1, 1, 34“ pro „S. 1, 4, 34.“

saepius; apud Vergilium: custodes sufferre valent. Aen. 2, 492; 3, 415; 4, 334 saepius; in oratione numeris soluta raro, ut apud Livium 38, 23, 4: nec continere suos ab direptione castrorum valuit (vide quod Weissenbornius ad hunc locum adnotavit, ubi per errorem typographicum Curt. 3, 9, 5 haud recte laudatur, legendum enim est: 3, 4, 5: ne conspectum quidem hostium sustinere valuerunt; deinde apud eundem Curtium 7, 7, 7; 9, 6, 25; 10, 1, 40. cf. Draeger synt. hist. §. 413, p. 293.)

evalesco cum infinitivo legitur et apud Horatium: quae pervincere voces evaluere sonum . . . ? Ep. 2, 1, 201; et apud Vergilium: non Dardaniae medicari cuspidis ictum evaluit. Aen. 7, 757. (quod verbum Draeger plane neglexit.)

volo legitur α) iunctum cum infinitivo praes. act. quinquaginta quatuor locis (volo, vis, volt, volumus, volunt, volebat, volam, voles, volet, volent, velim, velis, velit, velint, vellem, velles, vellet, velle volentem), β) cum infinitivo praes. pass. dum volt libertas dici mera. Ep. 1, 18, 8; fabula, quae posci volt, et spectata reponi. Ep. 2, 3, 190; sive mendaci lyra voles sonari. Ep. 17, 40; armari si volet. S. 1, 3, 72; ubi tractari mollius aetas imbecilla volet S. 2, 2, 86; volet haec (pictura) sub luce videri. Ep. 2, 3, 363. γ) cum inf. perf. act.: ne quis humasse velit Aiace. S. 2, 3, 187. (cf. quae Fritzsche ad hunc locum docuit). sunt delicta, quibus ignovisse velimus. Ep. 2, 3, 347.

nolo α) cum inf. praes. act. noluit S. 1, 6, 72; noles Ep. 1, 2, 34; S. 1, 4, 140; nolis Ep. 1, 1, 31; nolit S. 1, 2, 5 et 106; nolint S. 1, 1, 19; nollem S. 1, 6, 97 et 99; nollet Ep. 1, 17, 14; noli Ep. 1, 16, 69 et 18, 28; nolito Ep. 2, 3, 427. β) cum inf. praes. pass.: quae res nec modum habet neque consilium, ratione modoque tractari non volt. S. 2, 3, 267; versibus exponi tragicis res comica non volt. Ep. 2, 3, 89; animi quod parvi nolit haberi. S. 1, 2, 10; qui se, an . . . servari nolit. Ep. 2, 3, 463. γ) cum inf. perf. act. sunt qui nolint tetigisse nisi illas. S. 1, 2, 28 (vide quae Haase adnot. 453, p. 500. ad Reisig. §. 290 docuit); cf. Ovid. ex Ponto 1, 5, 42: et repeto, nollem quas coluisse, deas. Haud raro poëtae studio pingendi ducti, verbum „nolle“ cum aliis permutant; in Horatii libris inveniuntur: contemno non contemnas lippus inungui. Ep. 1, 1, 29; coronari contemnat Olympia. Ep. 1, 1, 50; sperno: nec partem solido demere de die spernit. C. 1, 1, 21; in Vergili libris contemno, sperno cum inf. desunt, apud Ovidium legimus cum inf. juncta sperno (Met. 9, 117). Fastidio (R. A. 305). invidens privata deduci superbo non humilis mulier triumpho. C. 1, 37, 30; indignatur privatis carminibus narrari cena Thyestae. Ep. 2, 3, 90; vinci dolentem in Hercule. C. 4, 4, 62.

malo α) iunctum cum inf. praes. act. legitur sedecim locis: malo Ep. 2, 3, 88; mavis C. 1, 2, 33; 3, 4, 3; 27, 13 et 63; S. 1, 4, 21; Ep. 1, 14, 40; malunt Ep. 2, 1, 214; malim S. 1, 1, 55; malis C. 3, 24, 58; S. 1, 10, 30 et 35; mallem Ep. 2, 1, 250; malles Ep. 2, 3, 442; mallet S. 1, 6, 19; 2, 7, 13. β) cum inf. praes. pass. S. 1, 2, 118. γ) cum inf. pf. act.: nullos his mallem ludos spectasse. S. 2, 8, 79.

praefero semel legitur usurpatum pro verbo „malle.“ Ep. 2, 2, 126: praetulerim scriptor delirus inersque videri.

cupio α) cum inf. praes. act. misere cupis abire. S. 1, 9, 14; persuadere cupit. S. 1, 5, 100; variare cupit Ep. 2, 3, 29; cupimus incrustare S. 1, 3, 56; quare cupiam magis illi proximus esse. S. 1, 9, 53; cupiens vincere. S. 2, 6, 86; cupiens tibi dicere pauca S. 2, 7, 1; cupiens evellere S. 2, 7, 27; castellum evertere praetor cupiens Ep. 2, 2, 35. β) cum inf. praes. pass. deus immortalis dum habere cupit Ep. 2, 3, 465; haberi ut cupiat formosus. S. 1, 6, 31. γ) cum inf. perf. act. cupiet fecisse. Ep. 2, 2, 109.

gestio divitum partes linquere gestio. C. 3, 16, 24; pressum Calibus ducere Liberum si gestis. C. 4, 12, 15; fuge quo descendere gestis Ep. 1, 20, 5;

gestit conducere publica Ep. 1, 1, 77; gestit nummum in oculos demittere Ep. 2, 1, 175; gestit paribus colludere Ep. 2, 3, 159; visere gestiens qua parte debacchentur ignes C. 3, 3, 54; apud Plautum legi: dare iam veniam gestio. Trin. 325. cum infinitivo et accusativo subjecti legitur gestio apud Horatium S. 1, 4, 37. praegestio ludere cum vitulis praegestientis C. 2, 5, 9; cf. Catull. 64, 145: quis tum aliquid cupiens animus praegestit apisci, nil metuunt jurare, nihil promittere parcunt. Huc quoque referendum videtur: nempe vir bonus et prudens dici delector ego ac tu Ep. 1, 16, 32, vide infra C)

aveo aventi ponere signa S. 2, 4, 1; urbes aventis moenia nocturni subrepere S. 2, 6, 99; ara avet spargier C. 4, 11, 7; jam apud Lucretium: quod te imitare aveo 3, 6; rationem reddere aventem 3, 259.

Poëtico sermoni propria sunt: peto: navibus et quadrigis petimus bene vivere Ep. 1, 11, 29; apud Vergilium Aen. 7, 96: ne peti sociare; apud Ovidium: victicemque petunt dextrae conjungere dextram. Met. 8, 421. expeto: amore qui me praeter omnes expetit mollibus in pueris aut in puellis urere Ep. 11, 3. in Ovidii Metam. 7, 475: turba ruit tantaeque virum cognoscere famae expetit 9, 550; jam apud Plautum, ut videtur, haud raro (ut in Trinummo. 674, cum inf. et acc. subjecti: 366, 652) et Terentium. flagito flagitat immorsus refici stomachus S. 2, 4, 61 (quem locum Draeger synt. hist. 2, 2, p. 390, plane neglexit). furere C. 1, 15, 27; ardere cum inf. ut apud Vergilium (Aen. 2, 105: tum vero ardemus scitari et quaerere causas) et apud Ovidium (Metam. 5, 166: ruere ardet utroque) atque etiam in Sallustii Jugurtha 39, 5: mederi . . . animo ardebat . . . apud Horatium nusquam legitur.

fugio. fuge quaerere C. 1, 9, 13; fuge suspicari C. 2, 4, 22; fugeres radice curarier Ep. 2, 2, 150; refugio: si nec Polyhymnia Lesboum refugit tendere barbiton C. 1, 1, 34; apud Vergilium: Mene igitur socium summis adjungere rebus, Nise, fugis? Aen. 9, 200; fugio et refugio, utrumque cum inf. junctum in Ovidii libris leguntur, illud Her. 9, 75, hoc Amor 3, 6, 5; etiam ex Cicerone afferuntur ut pro Murena §. 11 (huic donis militibus patris triumphum decorare fugiendum fuit); de or. 3, 38, 153 (neque enim illud fugerim dicere); adicio: o fuge te tenerae puerorum credere turbae Tibull. 1, 4, 9; fugitant . . . relinquere Lucret. 1, 658; fuge credere 1, 1052; in tenero tenerascere corpore mentem confugient 3, 764. odi oderunt peccare boni virtutis amore Ep. 1, 16, 52; laetus in praesens animus quod ultrast oderit curare. C. 2, 16, 26; parco jam apud Lucretium (quem Draeger 2, 2, p. 322, §. 424, 3, plane silentio praeterit): ex nulla facere id si parte reparcent 1, 667; contingere parcat 2, 660; ex Vergilio laudantur: Buc. 3, 94; Aen. 3, 42; ex Ovidio liceat mihi opponere: solvere quasatae parcite membra ratis Trist. 1, 2, 2; parce lacerare genas ibid. 3, 3, 51; parce timere ibid. 5, 9, 34; fortunam parce gravare meam ibid. 11, 30; in Horatii libris his locis parco cum inf. iunctum legitur: parcis deripere horreo amphoram. C. 3, 28, 7. nisi mutatum parcit defundere vinum. S. 2, 2, 58; ne parce malignus arenae ossibus particulam dare. C. 1, 28, 23—25; parce privatus nimium cavere. C. 3, 8, 26; in prosa oratione parco cum inf. legitur in Livii 34, 32, 20; (vide Kuehnast synt. Liv. p. 253.)

recuso pedes ferre recusant corpus. S. 2, 7, 108; quae facere ipse recusem. Ep. 2, 1, 208; ne illi tu comes exterior ire recuses S. 2, 5, 17; rem quam vires ferre recusent. Ep. 2, 1, 259; quid ferre recusent, quid valeant humeri Ep. 2, 3, 39. denego: nec tu dare deneges. C. 3, 16, 38. vito: tangere vitet scripta, Palatinus quaecumque recepit Apollo. Ep. 1, 3, 16; apud Ovidium: vitatque quod expedit illi, vestra soror summo jungere membra deo. Fast. 2, 591.

debeo: debes hoc etiam rescribere Ep. 1, 3, 30; debemus non fastidire S. 1, 3, 43; respondere debebat. S. 1, 9, 37; inter perfectos referri debet Ep. 2, 1, 37; iam nunc dicat iam nunc debentia dici Ep. 2, 3, 43.

studeo: studet aemulari C. 4, 2, 1; aptare studet Ep. 1, 3, 13; studet contingere Ep. 2, 3, 412; studet urbanus tenditque disertus haberi Ep. 1, 19, 16; conor: mihi res subjungere conor Ep. 1, 1, 19; nos neque haec dicere nec Pelidae stomachum conamur C. 1, 6, 9; quem cur destringere coner . . . ? S. 2, 1, 41; tibi se laudare et tradere coner Ep. 1, 9, 3; ea cum reprehendere coner Ep. 2, 1, 81. Poëtico sermoni proprium est quaero cum inf. junctum: mitibus mutare quaero tristia C. 1, 16, 26; speciosa quaero pascere tigres C. 3, 27, 55; si torrere iecur quaeris idoneum C. 4, 1, 12; spectatum satis quaeris iterum me includere ludo Ep. 1, 1, 2; quaerit Calendis ponere (pecuniam) Ep. 2, 70; carere quaeritis laboribus? Ep. 16, 16; quae generosius perire quaerens C. 1, 37, 22; misere discedere quaerens S. 1, 9, 8; fragili quaerens inlidere dentem S. 2, 1, 77; iam vinco quaerens, iam somno fallere curam S. 2, 7, 114; Caesarem finire quaerentem labores C. 3, 4, 39; si quaeret pater urbium subscribi statuis C. 3, 24, 27; iam ante Horatium apud Lucretium ut 1, 103; 3, 514; apud Vergilium Aen. 4, 631; 6, 614; 7, 449; 11, 180, apud Ovidium: Trist. 5, 4, 7. — tendo α) cum inf. praes. act. Socraticam domum mutare loriceis Hiberis tendis? C. 1, 29, 16; purior in vicis aqua tendit rumpere plumbum Ep. 1, 10, 20; tendunt extorquere poemata Ep. 2, 2, 57; ire foras pleno tendebat corpore frustra Ep. 1, 7, 31; β) cum inf. praes. pass. dum studet urbanus tenditque haberi disertus Ep. 1, 19, 16. γ) cum inf. perf. act. fratres tendentes Pelion imposuisse Olympo C. 3, 4, 51; itemque apud Vergilium: ille simul manibus tendit divellere nodos. A. 2, 220; Tristis Centaurusque locum tendunt superare priorem Aen. 5, 155; expellere tendunt nunc hi, nunc illi Aen. 10, 354; deesse videtur apud Ovidium. nitor cum infinitivo junxit Ovid. Metam. 8, 694: nituntur longo vestigia ponere elivo, non Vergilius, Horatius; hic tamen enitor duobus locis cum inf. junxit: frangere enitar C. 3, 27, 47; nec sic enitar tragico differre colori Ep. 2, 3, 236. certo cum inf. apud Horatium uno tantum loco legitur: certat tollere honoribus C. 1, 1, 8; jam apud Lucretium: 5, 393, 1122; 6, 509, 1246; apud Vergilium decem circiter locis: certant includere capto. Aen. 2, 64. neque vincere certo 5, 194 . . . (vide Lexicon G. Aenothei Koch s. v.); apud Ovidium: Fast. 1, 213; in prosa quoque oratione apud Curtium 7, 6, 8 et 9, 4, 33; urgere: maris urges submovere litora C. 2, 18, 20; curo: huius in prosa oratione solita structura cum pte. fut. pass. apud Horatium nusquam legitur, sed omnibus locis cum inf. junctum est. α) praes. act. si curas esse quod audis Ep. 1, 16, 17; quis deproperare curat C. 2, 7, 25; nec curat Orion leones agitare C. 2, 13, 39; triviis attollere curat fracto crure planum Ep. 1, 17, 58; est qui non curat habere Ep. 2, 2, 182; non unguis ponere curat Ep. 2, 3, 297; nec verbum verbo curabis reddere Ep. 2, 3, 133; si quid componere curem Ep. 2, 3, 35; si nolis sanus (sc. expergisci), cures (sic Bentley; alii: cures) hydropicus Ep. 1, 2, 34; si curet quis opem ferre Ep. 2, 3, 460 et 461 β) cum inf. praes. pass. nec vera virtus curat reponi Carm. 3, 5, 30, cf. non ego laudari curo, Delia Tibull. 1, 1, 57. γ) cum inf. perf. act. nil extra numerum fecisse curas Ep. 1, 18, 60; si curat cor tetigisse Ep. 2, 3, 98; quod cures proprium fecisse Ep. 1, 17, 5. ceterum haud raro apud Ciceronem quoque cum inf. junctum legitur, vide Draeger hist. Synt. §. 442 p. 320. laboro. nosse laboro S. 2, 8, 19; quibus militet oris scire laboro Ep. 1, 3, 2; brevis esse laboro Ep. 2, 3, 25; obliquo laborat lympa fugax trepidare rivo C. 2, 3, 11; nec plura parare labores Ep. 2, 2, 196; hunc atque hunc superare laboret S. 1, 1, 112; haec laboret reddere certa sibi S. 2, 3, 269; quis enim invitum servare laboret? Ep. 1, 20, 16; commisisse cavet quod mox mutare laboret Ep. 2, 3, 168; ne quarta loqui persona laboret Ep. 2, 3, 192; quem perspexisse laborant Ep. 2, 3, 435; memini apud Horatium saepius cum infinitivo iunctum: orabant hodie meminisses reverti S. 2, 6, 37; finire memento tristitiam C. 1, 7, 17; aequam memento rebus in arduis servare mentem C. 2, 3, 1; reddere victi-

mas aedemque votivam memento C. 2, 17, 31; quod adest, memento componere aequus C. 3, 29, 32; illa memento ponere S. 2, 4, 12; ducere me auditum memento S. 2, 4, 89; tabulas a te remove memento S. 2, 5, 52; subinde praeceptum auriculis hoc instillare memento Ep. 1, 8, 16 (cf. *μεμνησθαι* cum inf. Krueger gramm. graeco. §. 56, 7. adnot. Buttmann gr. gr. §. 144, 6.)

audeo (audes, audet, audent, audebit, audeat, ausim, aude, ausus est, ausa, ausi) viginti tribus locis Horatius cum infinitivo junxit, ubique praesentis activi, audeo cum inf. perf. act. Ovidius junxit: qui me primus ausus es adloquio sustinuisse tuo. Trist. 1, 5, 4.

moror uno tantum loco cum inf.: secunda ratem occupare quid moramur alite? Ep. 16, 24; apud Ovidium: nec moror ante tuos procubuisse pedes Her. 12, 186; nusquam cum inf. apud Vergilium. — cesso. quid mori cessas? C. 3, 27, 58; non cessat laudare Ep. 1, 7, 78; non cessavere poetae certare Ep. 1, 19, 10 (cf. Curt. 6, 11, 14: quid cessatis regis inimicum, interfectorem confitentem occidere. Cic. ad Att. 11, 11, 2: ille in Achaia non cessat nobis detrahare; Lucret.: nec rem cessant conficere 2, 1142; apud Vergilium: nec gemere cessabit Bucol. 1, 59; saepius apud Horatium absolute positum legitur ut Ep. 2, 2, 14: semel hic cessavit etc. — cunctor in Horatii libris duobus tantum locis legitur, quorum unus, ubi infinitivus supplendus est, huc pertinet: nec cunctetur (scil. venire), cum est iussa venire S. 1, 2, 122.

dubito apud Horatium duobus tantum locis legitur, qui huc non pertinent (C. 1, 12, 35 et Ep. 2, 1, 80). Constat, verbum dubitandi, nostrum: „Bedenken tragen“ exprimens, cum infinitivo jungi solere; poetae hoc verbo haud saepe utuntur atque „vereri, formidare, metuere, timere“ cum infinitivo jungunt ad exprimendam atque poetice pingendam notionem dubitandi cum inf. vereor cum inf. semel tantum et apud Horatium: insanos qui inter vereare insanus haberi S. 2, 3, 40 et apud Vergilium: nec veriti dominum fallere dextras Aen. 6, 613; nec non apud Ovidium: qui veritus non es, portus aperire fideles Trist. 4, 5, 5; sic etiam apud Ciceronem et Caesarem vide Draeger synt. hist. 2, 2, p. 228. formido cum infinitivo junctum apud Vergilium et Ovidium deesse videtur, in Horatii libris: ad haec ego naribus uti formido Ep. 1, 19, 46. metuo Horatius haud paucis locis cum inf. junxit: pro qua non metuam mori C. 3, 9, 11; nec tumultum nec mori per vim metuam. C. 3, 14, 15; metues... seurrantis speciem praebere Ep. 1, 18, 1; metuens contingere sacrum S. 2, 3, 110; metuentis reddere soldum S. 2, 5, 65; — metuit tangi C. 3, 11, 10; culpari metuit fides C. 4, 5, 20; labra movet metuens audiri Ep. 1, 16, 60; penna metuente solvi C. 2, 2, 7. cf. Vergil. Georg. 1, 246: Arctos Oceani metuentis aequore tingui. Ovid. Fast. 2, 723: metuunt hostes committere pugnam; Her. 15, 283: metuis Venerem temerare maritam. Metam. 1, 745: metuit loqui. Plaut. Ps. 1, 3, 69: metuunt credere omnes; Catull. 64, 146: nil metuunt jurare, nihil promittere parant; Lucret. 3, 771: an metuit conclusa manere in corpore putri. Liv. 32, 31: ita ut temptare spem certaminis metuerent (Weissenborn: auderent); Auctor ad Herenn. 4, 18, 25: metuimus dimicare; Curtius 8, 7, 9: audire metuis, 9, 5, 25: manus admoveere metuebat; 10, 2, 15: eloqui metuo. timeo circiter totidem locis Horatius cum inf. junxit quam metuo: nec modica cenare times olus omne patella Ep. 1, 5, 2; cur timet Tiberim tangere? C. 1, 8, 8; venari timet C. 3, 24, 56; navem agere ignarus navis timet Ep. 2, 1, 114; timui mutare modos Ep. 1, 19, 27; cum mea scripta nemo legat volgo recitare timentes S. 1, 4, 23; mihi aegrotare timenti Ep. 1, 7, 4; vesanum tetigisse timent fugiuntque poetam Ep. 2, 3, 455; ex Vergilii libris unus tantum locus affertur: Stygiamque paludem di cuius iurare timent et fallere numen Aen. 6, 324; neque pauci loci occurrerunt mihi Ovidii carminum partem perlustranti, in libris Metam. 1, 176: hic locus est, quem haud timeam magni dixisse Palatii coeli; 12, 246: Amycus penetralia do-

nis haud timuit spoliare suis; 14, 180: hosti prodere me timui; Heroid. 19, 161: hic metuit mendax, timet haec periura videri; 12, 117: nec tamen extimui credere me pelago femina tamque nocens; Trist. 1, 1, 95: si quis erit, qui te dubitantem et adire timentem tradat; ibid. 8, 12: adflictumque fuit tantus adire timor; ex P. 1, 6, 22: tractari nostra vulnera timent; 3, 1, 119: quid trepidas et adire times. 4, 6, 13; iam timeo nostram cuiquam mandare salutem; apud Curtium: eloqui timeo 4, 10, 27 et 9, 6, 12 (Vogel); Tibull. 1, 4, 21: nec iurare time. Draeger synt. hist. 2, 2, p. 328. Horatium s. v. vereri, timere plane silentio praetermisit neque quisquam illi assentiet timere cum inf. rarius occurrere legenti quam vereri cum inf. quum numero allatorum locorum contrarium doceamur. horreo cum inf. apud Horatium nusquam legitur; apud Vergilium Aen. 2, 12: quamquam animus meminisse horret luctuque refugit; 11, 636: ipsum horrebat adire. Draeger synt. hist. 2, 2, p. 329 docet: „Ihm folgt Livius 7, 30, 23: ominari horreo, 7, 40, 10: horreo dicere; 13, 29, 4: horret animus referre. Unde noch Ammian.“ quibus adiciendus est Ovidius: nec petere offensi numinis horret opem ex P. 2, 2, 28 (cf. Trillhaas p. 13). horret adire locum Trist. 1, 1, 86; perhorresco: iure perhorruit late conspicuum tollere verticem C. 3, 16, 18. Postremo: ploro cum inf. plorando dubito: me asperas porrectum ante foris obicere incolis plorares Aquilonibus C. 3, 10, 4.

coepe cum inf. praes. act. invenitur undecim locis (coepe S. 1, 9, 63; coepit S. 1, 9, 42 et 2, 6, 41 Ep. 2, 1, 94 et 162; 2, 35; 3, 208; coeperunt S. 1, 3, 105 et 8, 28; coeperis S. 2, 3, 126 et Ep. 1, 20, 12; cum inf. praes. pass.: urbanus coepit haberi Ep. 1, 15, 27; in rabien coepit verti iocus Ep. 2, 1, 149; amphora coepit institui Ep. 2, 3, 21; postquam coepit vinoque diurno placari Genius Ep. 2, 3, 208; unde apparet, Horatium passivo verbi coepisse usum non esse; apud Vergilium legitur: juga coepta sunt moveri Aen. 6, 256; apud Ovidium cum infinitivo passivo genus et activum et passivum verbi junctum legitur: inde fide maius, glebae coepere moveri Met. 3, 106; Anna quod hoc coepta est mense Perenna coli Fast. 3, 146; coeptaque sunt pure tradita sacra coli ibid. 280; apud Lucretium praeter coepisse haud raro coeptare usurpatum legitur ut 1, 267; cum locis, quos ex Horatii libris attulimus, confer Lucretianum: ex illis finibus edunt per terrarum orbem frugis coepisse creari. incipio: dormire incipit S. 1, 5, 18; incipit montes Appulia notos ostentare mihi S. 1, 5, 77; potare et spargere flores incipiam Ep. 1, 5, 15; finire laborem incipias S. 1, 1, 94; populum si caedere saxis incipias S. 2, 3, 129, vide quae Krebs in antibarbaro de hoc verbo p. 499 docuit; pte. pf. pass. apud Horatium semel tantum legitur Ep. 14, 7: inceptos iambos; saepe in Vergilii libris. Alia verba eiusdem significationis apud Horatium leguntur: „inchoo, ordior“, utrumque semel tantum et cum accusativo objecti (C. 1, 4, 15, Ep. 2, 3, 147); contra in Vergilii et Ovidii libris ordiri cum inf. haud raro legitur ut: cum sic orsa loqui vates Aen. 6, 125, 561; quas inter mea sic est nurus orsa loqui Fast. 3, 206; ut tacui Pieris orsa loqui 4, 222, orsa est dicere Leuconoë Met. 4, 167.

pergo. pergis pugnancia secum frontibus adversis componere S. 1, 1, 102; novae pergunt interire lunae C. 2, 18, 16; ducere me auditum, perges quocumque, memento S. 2, 4, 89.

desino cum inf. septem locis; Ep. 11, 18: desinet imparibus certare; omnibus aliis locis imperativus desine cum inf. junctum legitur: C. 1, 23, 11; 3, 3, 70; 15, 4; 4, 1, 4; S. 1, 2, 78 Ep. 1, 18, 30; desisto: destiti Inachia furere Ep. 11, 5; iniussi nunquam desistant se. cantare S. 1, 3, 3; non hodie si exclusus fuero, desistam S. 1, 9, 58; mitto: mitte sectari C. 1, 38, 3; cetera mitte loqui Ep. 13, 7; omitto: omite mirari C. 3, 29, 11; omite tueri Ep. 1, 18, 79; remitto: remittas quaerere; cf. quod Draeger synt. hist. ex Sallustio Jug. 52 affert: neque remittit explorare; apud Ovidium modo mittere cum inf.

legitur ut Met. 3, 614: pro nobis mitte precari (vide: Trillhaas Inf. bei Ovid p. 14); in Vergilii libris „omittere“ plane deest, mittere, remittere non cum inf. juneta leguntur; ex Lucretio afferre possum: nil adeo magnum neque tam mirabile quicquam, quod non paulatim mittant mirari omnes 2, 1029. Postremo huc trahendum videtur locus memoratu valde dignus: aufer terrere S. 2, 7, 43 (Orelli: „abstine, noli“ ex uso quotidiano. Plaut. Curcul. 2, 1, 30.)

festino: quae laedunt oculum, festinas demere Ep. 1, 2, 38; componere lites festinat Ep. 1, 2, 12; propero: properat rabiem sedare epod. 12, 9; properabat lambere tectum S. 1, 5, 74; Sybarin cur properes perdere C. 1, 8, 2; cur me properent arcere veterno Ep. 1, 8, 10. Huc trahendum videtur trepido: fuge suspicari, cuius octavum trepidavit aetas claudere lustrum C. 2, 4, 23; apud Vergilium: ne trepidate meas, Teuceri, defendere navis Aen. 9, 114; occupo: interdum rapere oscula occupat C. 2, 12, 28 (*ῥάπναι ἀπράζονσα* Orelli.)

In sermone numeris soluto haud raro neglego (nostrum: versäumen, nicht achten) cum inf. legitur; apud Horatium uno tantum loco eoque cum accusativo subjecti junctum C. 1, 28, 30; huc pertinet differo. C. 4, 4, 21: quibus mos unde deductus... obarmet quaerere distuli, cf. supra mitto, omitto cum inf.

cogito: rebus bene cogitat uti Ep. 1, 2, 50; ex fumo dare lucem cogitat Ep. 2, 3, 144; neque in Vergilii neque in Ovidii libris cum inf. junctum cf. Draeger synt. hist. §. 416 p. 302. meditor non ego te meis immunem meditor tingere poculis C. 4, 12, 23; Scythae meditantur cedere campis C. 3, 8, 23; an potius mediter finire labores S. 2, 3, 263; Caesaris aeternum meditans decus stellis inserere C. 3, 25, 5; apud Vergilium Aen. 1, 674; in Ovidii libris cum inf. junctum non legi videtur. paro: invidiam placare paras, virtute relicta? S. 2, 3, 13; civica jura respondere paras Ep. 1, 3, 24; nox coelo diffundere signa parabat S. 1, 5, 10; ac si insanire paret certa ratione modoque S. 2, 3, 271; apud Vergilium quoque et Ovidium cum inf. junctum legitur; hic comparo quoque cum inf. junxit: si quis tamen urere tecta comparat Trist. 2, 267: animum induco: ut nunquam inducant animum cantare rogati S. 1, 3, 2. dignor: ambire... dignor Ep. 1, 19, 40; dignatur ponere me C. 4, 3, 14; conectere digner Ep. 2, 2, 86; in Vergilii libris (cf. Chr. Jaenicke: die sog. Graecismen im Infinitivgebrauche bei Vergil p. 10) B. 6, 1, prima Syracusio dignata est ludere versu; Aen. 4, 192: cui se dignetur jungere Dido; 10, 732; 12, 464; 10, 866; ex Ovidio affert Trillhaas p. 15: imparibus tamen es numeris dignata moveri Amores, 3, 1, 37; nec dare sed pretium posci dedignor et odi ibid. 1, 10, 63; nec non in oratione numeris soluta apud Curtium dignor: 6, 5, 29; 8, 14, 44; dedignor: 10, 3, 11 et 5, 33. decerno, constituo nusquam in Horatii libris leguntur, statuo non cum inf. junctum; apud Vergilium statuo G. 3, 73; constituo Aen. 1, 306; decerno Aen. 4, 475; ex Ovidii Trillhaas p. 13 tantum statuo Met. 10, 132 affert. Huc denique pertinere videtur: sumis celebrare C. 1, 12, 2.

soleo undecim locis cum inf. (solet C. 1, 25, 14; solent S. 2, 8, 74; Ep. 1, 18, 85; soleat S. 1, 5, 90; solitus S. 1, 1, 66 et 99; S. 2, 3, 144; Ep. 1, 14, 3; soliti S. 1, 5, 29; 2, 1, 74 et 3, 245; consuevi: qui reges consuesti tollere S. 1, 7, 34. nullius addictus iurare in verba magistri Ep. 1, 1, 14; Graecia conjurata tuas rumpere nuptias C. 1, 15, 7; cf. Vergil. G. 1, 280: conjuratos coelum rescindere fratres; vide quae de hac graeca verbi conjurare constructione Dillenburger ad Hor. C. 1, 15, 7 adnotavit, qui ex Sallustio Cat. 52, 24: conjuravere patriam incendere ex Livio 22, 38 (quod legendum est pro 33) 3 affert.

Sermoni numeris soluto plane alienum est structura cum infinitivo horum verborum; gaudeo: laedere gaudes S. 1, 4, 78; gaudes includere rebus humanis S. 2, 8, 62; gaudentem findere sarculo agros C. 1, 1, 11; motus doceri gaudet Jonicos C. 3, 6, 21; posuisse gaudet C. 1, 34, 16; gaudet pepulisse

fossor ter pede terram C. 3, 18, 15; cf. Vergil. Aen. 2, 239: funem contingere gaudent, Ovid. R. A. 3, 73: fortia Meonio gaudent pede bella referri; ex P. 4, 9, 20: gauderem lateris non habuisse locum etc. renideo: Pacori manus adiecisse praedam torquibus exiguis renidet C. 3, 6, 12; amo ut graecum *ῥίλω* cum infinitivo junctum nusquam apud Vergilium contra haud raro in Horatii libris legitur: aurum perrumpere amat saxa C. 3, 16, 10; amat spatiis obstantia rumpere claustra Ep. 1, 14, 9; umbram consociare amant C. 2, 3, 10; libelli inter sericos iacere pulvillos amant Ep. 8, 16; quaerere amabam S. 2, 3, 20; tecum vivere amem C. 3, 9, 24; amet quavis aspergere cunctos S. 1, 4, 87; lectica gestare amet agnam S. 3, 2, 214; amet pacare tumentes Ep. 2, 3, 197; importunus amet laudari S. 2, 5, 96; hic ames dici pater atque princeps C. 1, 2, 50; amet scripsisse ducentos versus S. 1, 10, 60.

disco: assem discunt in partes centum diducere Ep. 2, 3, 326; abrotonum aegro non audet, nisi qui didicit, dare Ep. 2, 1, 115; respicere ignoto discet pendentia tergo S. 2, 3, 299; bene ferre magnam disce fortunam C. 3, 27, 75; condisco: pauperiem amice pati puer condiscat C. 3, 2, 3; Ovidius haec quoque verba cum infinitivo junxit: pedisco Trist. 3, 14, 46; addisco Met. 3, 593, et edisco Her. 7, 180; apud Vergilium modo „disco“ nonnullis locis (Aen. 1, 630, 5, 222, Buc. 10, 61 G. 3, 232) cum infinitivo junctum legitur. scio: fortasse cupressum scis simulare Ep. 2, 3, 20; reddere qui voces iam scit puer Ep. 2, 3, 158; ille reddere personae sit convenientia cuique Ep. 2, 3, 316; si modo ego et vos scimus inurbanum lepido seponere dicto Ep. 2, 3, 273; si sciet internoscere Ep. 2, 3, 424; si sciret regibus uti Ep. 1, 17, 14. nescio: vivere si recte nescis Ep. 2, 2, 213; te hora Caniculae nescit tangere C. 3, 13, 10; nescit equo haerere C. 3, 24, 54; qui Sidonio contendere callidus ostro nescit Aquinatem potentia vellera fucum Ep. 1, 10, 27; naturam mutare pecunia nescit Ep. 1, 12, 10; ludere qui nescit Ep. 2, 3, 379; qui nescit versus, tamen audet fingere Ep. 2, 3, 382; nescit vox missa reverti Ep. 2, 3, 390; quia parvo nesciet uti Ep. 1, 10, 41; quia ponere totum nesciet Ep. 2, 3, 35; omnibus his locis nescire cum infinitivo junctum idem valet quod graecum cum infinitivo junctum: *οὐκ ἐπίστασθαι* significatione sciendi aliqua ex parte declinata ad vim verbi posse, quire (cf. vide Krueger gramm. graec. §. 56, 7 adnot. 9.) Aliter res se habere videtur C. 3, 27, 73; ubi interpretores dissentunt. non illi quidem de textu, sed de sensu atque in tres discedunt partes; legunt enim Bentley, Haupt, Schuetz, Keller et Holder: uxor invicti Jovis esse nescis? Dillenburger... nescis. Nauck et Orelli: uxor invicti Jovis esse nescis: mitte singultus etc. quaerendum est, puto, utrum „nescis“ interpretare nostro: weisst du nicht, dass du die Gattin des unbesieglichen Jupiters bist? vel: du weisst nicht, dass du... bist! an: du verstehst nicht, dich zu betragen als die Gattin... (Orelli: non vales, non audes, te gerere Jovis uxorem); quarum interpretationem hanc neque ulli grammatices praecepto repugnare et altiore excelsioreque quandam naturam gerere negari non potest; illa credere cogimur, poetam rarissima atque usitato dicendi generi plane aliena structura esse usum; nam illum sensum exprimere volenti dicendum fuit secundum grammaticam legem: uxorem te invicti Jovis esse nescis. Querellae vero Europae v. 34—66 adeo sunt plenae humilitatis, irae, desperationis, ut hanc interpretationem, quam cum Orellio tranquillam et blandam affirmationem, consolationem Veneris ex ironia („perfidum ridens“ v. 67), ad veram consolationem („mox, ubi lusit satis“ v. 69) transeuntis intelligimus, illi aliquantum inflatiori praeferamus. Huc accedit quod structura nominativi cum infinitivo cum verbis sentiendi et declarandi juncti nequaquam adeo inusitata est ut Orellio videtur; quare liceat nobis aliquot locos id generis apponere: sensit medios delapsus in hostes Vergil. Aen. 2, 377; rettulit Ajax esse Jovis pronepos Ovid. Metam. 13, 141; acceptum refero versibus esse nocens Trist. 2, 10, cur ego desperem fieri sine conjuge mater Fast. 5, 241;

phaselus ille ait fuisse navium celerrimus Catull. 4, 1 et 2; me quoque consimili impositum torquerier igni iurabo et his sex integer esse dies Propert. 4, 6, 39 et 40; Caesar ut tutum putavit iam bonus esse socer Lucan. 9, 1037 ex Horatio ipso: vir bonus et sapiens dignis ait essa paratus Ep. 1, 7, 22; denique bi versus 66—73 sciant ut ita dicam graecis structuris; nam legitur v. 67 „perfidum ridens“ apud Horatium, alios poetas illud quidem nequaquam inusitatum — locos id generis Dillenburgerus ad Carm. 2, 12, 14 collegit (lucidum fulgentes oculos; 1, 22, 23 et 24: dulce ridentem . . . dulce loquentem; 2, 16, 6: turbidum laetatur; 3, 3, 17: gratum elocuta, Sat. 1, 8, 41: resonant triste et acutum; Ep. 2, 2, 9: indoctum canit; Ep. 1, 7, 27: dulce loqui, ridere decorum, et 2, 1, 166: tragicum spirat. cf. La Roche: „der Accusativ im Homer“ §. 36, 37) sed plane singularis est neque apud ullum alium poetam Latinum legitur genetivus graecus, quem Horatius duobus locis cum verbo abstinendi ut nostro loco: „abstineto irarum calidaeque rixae“ et 4, 9, 37: abstinens ducentis ad se cuncta pecuniae, uno (Carm. 2, 9, 17) cum verbo desinendi junxit: desine mollium tandem querellarum. Ceterum vide quae G. T. A. Krueger gramm. lat. §. 570, 2. adnot. 3. et Zumpt. gramm. lat. §. 612, qui ex nostro Ep. 1, 7, 22: vir bonus et sapiens dignis ait esse paratus affert, de hac structura docuerunt. — Novi cum inf. uno loco: domos mercarier unus cum lucro noram S. 2, 3, 25; cf. Ovid. Her. 6, 124: fallere non norunt, cetera patris habent; Vergil. Aen. 8, 317: nec jungere tauros aut componere opes norant, aut parcere prato. — Calleo cum inf. nonnunquam in poetarum libris, raro in oratione numeris soluta; apud Horatium: callet pauperiem pati C. 4, 9, 49; Dillenburgerus affert; ostrea callebat primo deprendere morsu Juvenal. 4, 142; veri specimen dignoscere calles Pers. 5, 105, quibus adicio: multaque dicere callent Lucret. 2, 977. in prosa oratione apud Curtium 3, 2, 14: mutare pugnam non duces magis quam milites callent, Draeger synt. hist. 2, 2, p. 296: Lucretium, Vergilium, Ovidium, Horatium, Curtium plane silentio praetermittit. Habeo cum inf.: an melius quis habet suadere (habet = $\epsilon\chi\epsilon\iota$ cum inf. „vermag“ oder „weiss“) epod. 16, 23; cf. plura quidem mandare tibi si quaeris, habebam Ovid. Trist. 1, 1, 123; sic omnis amor unus habet decernere ferro Aen. 12, 282, quos locos idem Draeger 2, 2, p. 294 omisit.

Poetae illosque sequentes scriptores aetatis posterioris, haud raro verba, quae secundum grammaticae praecepta per conjunctionem „ut“ cum enuntiatione secundaria junguntur, cum infinitivo jungunt, liberiore Graecorum dicendi genere usi: apud Horatium haud pauca verba id generis leguntur: hortor semel cum inf.; qui fortunae te respondere . . . praesens hortatur et aptat Ep. 1, 1, 69; hortor ut: S. 1, 4, 107; impello cum inf. uno loco: ut Proetum mulier . . . falsis impulerit carminibus, Bellerophonti maturare necem C. 3, 7, 14; apud Vergilium: quidve dolens regna deum tot volvere casus insignem pietate virum, tot adire labores impulerit Aen. 1, 11; impulerat ferro Argolicas foedare latebras ibid. 2, 55, vide quae Madvigius gramm. lat. §. 390 et imprimis adn. 4, 5, 6 de hac re docet. ago cum inf. apud Horatium uno tantum loco: omne cum Proteus pecus egit altos visere montes C. 1, 2, 7; aliquoties apud Vergilium: A. 3, 4, 683; 7, 239, 393 (Jaenicke p. 8). redigo cum inf. verbi passivi: vertere modum formidine fustis redacti Ep. 2, 1, 155; saepius legitur cogo cum inf. junctum: illam cogit amor ludere C. 3, 15, 11; sibi parcere cogit S. 1, 4, 127; omnes mortales quaerere cogit S. 1, 6, 37; me perferre patique coget Ep. 1, 16, 75; lucem dare coget Ep. 2, 3, 448; te cogemus in hanc concedere turbam S. 1, 4, 143; scribere cogas Ep. 2, 1, 228; cogat porrigere Ep. 1, 6, 51; iterare cursus cogor C. 1, 34, 5; parcere cogoris S. 1, 1, 72.

moneo cum inf.: C. S. v. 5; admoneo S. 1, 6, 126.

doceo: docuit magnumque loqui, nitique cothurno Ep. 2, 3, 280; vol-
gus insanire docebo S. 2, 3, 63; asellum doceat currere S. 1, 1, 91; peccare

docentes historias C. 3, 7, 19; puer doctus sagittas tendere C. 1, 29, 9; doctus et Phoebi chorus et Dianae dicere laudes C. S. 75; nil praeter Calvum et doctus cantare Catullum S. 1, 10, 19; doctus eris mersare S. 2, 4, 19; militem proles docta versare glebas C. 3, 6, 38; doctae psallere Chiae C. 4, 13, 7; rivus multa mole docendus parcere prato Ep. 1, 14, 30; ludere doctior C. 3, 24, 56. dedoceo: populum falsis dedocet uti vocibus C. 2, 2, 20; fingo: fingit equum docilem cervicis magister ire Ep. 1, 2, 64; (Orelli: docet ingredi viam). instituo: amphorae fumum bibere institutae C. 3, 8, 11; monstro: monstrare inulas ego primus amaras monstravi incoquere S. 2, 8, 52.

Do: mihi . . . spiritum . . . Parca dedit spernere volgas C. 2, 16, 39; musa dedit fidibus Divos . . . referre Ep. 2, 3, 83; Graiis ingenium, Graiis dedit ore rotundo Musa loqui Ep. 2, 3, 323; di tibi dent . . . classem deducere S. 2, 3, 191; dederim quibus esse poetis S. 1, 4, 39; da mihi fallere, da justo, sanctoque videri Ep. 1, 16, 61; dono: divinare mihi donat Apollo S. 2, 5, 60; frui paratis mihi dones C. 1, 31, 18; cf.: lorica donat habere viro Aen. 5, 262; armaque Lauso donat habere humeris et vertice figere cristas Aen. 10, 701; Ovidius „donare“ haud cum inf. junxisse videtur, dare (Met. 7, 692; tribuere (Trist. 3, 5, 21) relinquere (Met. 14, 100); reddo: reddes dulce loqui: reddes ridere decorum Ep. 1, 7, 27; cum Gerundivo junctum legitur: tibi laceranda reddit cornua taurus C. 3, 27, 71. relinquo cum inf. uno loco: dum ex parvo nobis tantundem haurire relinquis S. 1, 1, 52; duobus locis cum gerundivo junctum legitur: habitanda fana apris reliquit Ep. 16, 20; haec porcis hodie comedenda relinques Ep. 1, 7, 19. trado: Musis amicus tristitiam et metus tradam portare ventis C. 1, 26, 1—3.

prohibeo: tres (cyathos) prohibet supra . . . tangere Gratia C. 3, 19, 15; pudor prohibebat plura profari S. 1, 6, 57; cum conjunctionibus „ne, quominus“ junctum in Horatii libris non exstat; constat in oratione quoque numeris soluto verbum prohibendi cum inf. jungi solere; impedire cum inf. junctum apud Horatium nusquam apparet, locis huius structurae, quos Draeger 2, 2, p. 332 attulit, adicio ex Lucretii libris: ut nil impediatur dignam dis degere vitam 3, 322. Huc trahendum videtur adimo cum inf.: adimam cantare severis Ep. 1, 19, 9; cf. nec vitam nec opes nec ademit posse reverti Ovid. ex P. 1, 7, 47 (Trillhaas p. 16) qui arceo quoque cum inf. junxit: ex P. 3, 3, 56.

Non ego te tigris ut aspera Gaetulusve leo frangere persequor C. 1, 23, 10. cf. Ovid. ex P. 1, 5, 65: hoc satis est si consequor arvo inter inhumanos esse poeta Getas.

II. Infinitivus cum accusativo subjecti

vel, quae dici solet, structura accusativi cum infinitivo objecti totius enuntiationis locum tenens regitur ab his verbis;

a) sentiendi. sentio: inclinare meridiem sentis C. 3, 28, 6; nil cum procedere lintrem sentimus S. 1, 5, 21; quia non sentis, quod clamas, rectius esse S. 2, 7, 25; postquam nihil esse periculi sensimus S. 2, 8, 58; ecquid ad te post paullo ventura pericula sentis Ep. 1, 18, 83; contracta pisces aequora sentiunt iactis in altum molibus C. 3, 1, 33; maior est in Horatii libris locorum numerus, quibus hoc verbum cum accusativo substantivi pronominisve junctum legitur, quos hic enumerare non attinet. puto uno tantum loco: ultraquam licet sperare nefas (sc. esse) putando C. 4, 11, 30; nusquam in epodis, saepe in sermonum epistolarumque libris; ne me Crispini serinia compilasse putes S. 1, 1, 121; tuo vitio rerumne labores nil referre putas S. 1, 2, 77; neque si qui scribat uti nos sermoni propiora, putes hunc esse poetam S. 1, 4, 42; sine nervis altera quidquid

composui pars esse putat S. 2, 1, 3; unde putas aut qui partum scil. lenire stomachum S. 2, 2, 18; Craterum dixisse putato S. 2, 3, 161; quod satis esse putat pater S. 2, 3, 178; qua me stultitia insanire putas S. 2, 3, 302; tantum hoc edissere, quo me aegrotare putes animi vitio S. 2, 3, 307; insanire putas solennia me Ep. 1, 1, 101; sic ignovisse putato me tibi Ep. 1, 7, 70; me quoties reficit gelidus Digentia rivus . . . quid sentire putas? Ep. 1, 18, 106; scriptores narrare putaret asello fabulam surdo Ep. 2, 1, 199; Garganum mugire putes nemus aut mare Tuscum Ep. 2, 1, 202; ac ne forte putes me . . . laudare maligne Ep. 2, 1, 208; ut omnes visuros peccata putem mea Ep. 2, 3, 266. ignoras te? an ut ignotum dare nobis verba putas? (= an ut ignotum te dare nobis verba putas?) S. 1, 3, 23; liberior, neque tamen plane insolita structura est: putasne, perduci poterit tam frugi tamque pudica S. 2, 5, 76 (vide quae Fritzsche ad hunc locum docuit). opinor uno tantum loco cum acc. c. inf.: opinor omnibus et lippis notum et tonsoribus esse S. 1, 7, 3; his me consolor (consolans opinor credo) victurum suavius S. 1, 6, 130; — reor an tu reris, cum occisa insanisse parente S. 2, 3, 134; non equidem . . . delenda carmina Livi esse reor Ep. 2, 1, 70; — credo cum acc. c. inf. junctum duodeviginti locis legitur; notatu dignum est: nam variae res, ut noceant homini, credas S. 2, 2, 72; vide quae Fritzsche ad hunc locum et ad S. 1, 4, 13 docuit, deinde quae Krueger, Orelli, Dillenburger adnotarunt; postremo: quid censes munera terrae . . . quo spectanda modo, quo sensu credis et ore? Ep. 1, 6, 5 et 8, vide quae Krueger ad hunc locum adnotavit; censeo in poetarum libris paulum usitatum esse videtur; nam apud Vergilium omnino nusquam legitur, apud Horatium perpaucis tantum locis praeter locum, quem modo apposuimus (Ep. 1, 6, 5): praeter cetera me Romaene poemata censes scribere posse . . . Ep. 2, 2, 65; munere cum fungi propioris censes amici (hoc loco accusativus subjecti supplendus est: munere cum fungi me pr. c. am.), quid possim videt ac novit me valdius ipso Ep. 1, 9, 5 (Orelli: „ex intimis tuis amicis me esse existimat“) liberior poetici sermonis structura est: Antenor censet belli praecidere causam Ep. 1, 2, 9 (pro usitata dicendi ratione: Antenor belli causam praecidendam esse censet) cf. vide G. T. Krueger ad hunc locum. Semel invenitur structura infinitivi cum acc. pendens a verbo placere: quis paria esse fere placuit peccata S. 1, 3, 96. video a) cum acc. cum inf.: vidimus Tiberim ire dejectum C. 1, 2, 13; vidi ego civium retorta tergo brachia et arva Marte coli C. 3, 5, 24; saepe tribus lectis videas cenare quaternos S. 1, 4, 86; convivas tum rapere atque omnis restringere velle videres S. 1, 5, 76; vidi ego met nigra succinctam vadere palla Canidiam S. 1, 8, 23; serpentis atque videres infernas errare canes . . . S. 1, 8, 34—36; Canidiae dentes excidere atque herbas videres S. 1, 8, 50; postquam te talos, Aule, nucesque ferre sinu laxo, donare et ludere vidi . . . S. 2, 3, 171—173; tum videres stridere secreta divisos aure susurros S. 2, 8, 77; vidimus et merulas poni S. 2, 8, 91. b) participio praedicati: Bacchum vidi docentem C. 2, 19, 2; juvat videre pastas oves properantes domum, videre fessos vomerem inversam boves collo trahentes languido Ep. 2, 62 et 64; videas metato in agello fortem colonum narrantem S. 2, 2, 114—116 (cf. Neptunum procul e terra spectare furem Ep. 1, 11, 10); c) particula „ut“ sequitur verbum videndi: vides ut alta stet nive candidum Soracte C. 1, 9, 1; vides ut pallidus omnis cena resurgat dubia S. 2, 2, 77 (vide quae Dillenburger ad hunc locum docuit); poetas promiscue utraque structura verborum videndi similitum, quum proprio, non translato sensu usurpata indicant, quid agentem homo aliquis resve aliqua cuidam videnti, audienti etc. se obtulerit, esse usus, et ex Horatii et ex Vergilii et Ovidii dicendi usu elucet; liceat nobis unum valde memorabilem locum apponere, quo omnes tres structurae conjunctae leguntur: ipse vides certe glacie concreescere pontum, ipse vides rigido stantia vina genu, ipse vides, onerata ferox ut ducat Jazyx . . . ex P. 4, 7, 7—12; audio:

audiet cives acuisse ferrum C. 1, 2, 21; audire videor cuncta terrarum subacta C. 2, 1, 23; audieras, cui rem di donarent, illi decedere pravam stultitiam Ep. 2, 2, 151; sequitur ut: C. 3, 10, 7 et Sat. 1, 2, 37—40; — comperio: comperit invidiam supremo fine domari Ep. 2, 1, 12; rescisco: simulatque carmina rescieris nos fingere Ep. 2, 1, 227; invenio: invenietque nil sibi legatum praeter plorare suisque S. 2, 5, 69; novi: puer hunc ego parvus Ofellum integris opibus novi non latius usum quam nunc accisis S. 2, 2, 113; notum et properare loco et cessare (= quem et properare loco et cessare omnes noverunt; sic interpretatur G. T. Krueger, quem L. Mueller, Haupt sequuntur; aliter Dillenburger, Orelli qui „notum“ interpunctione a sequentibus sejungunt atque absolute positum esse statuunt; Bentley: „natum“ adiciens: interpretes, opinor, semper inter se dissident.) Ep. 1, 7, 57; disco deos didici securum agere aevum S. 1, 5, 101; scio: me constare mihi scis et discedere tristem Ep. 1, 14, 16; quem scis innumem Cinarae placuisse rapaci . . . Ep. 1, 14, 33; scis in breve te cogi Ep. 1, 20, 7; me quater undenos sciat implevisse Decembres Ep. 1, 20, 27; scimus ut sustulerit C. 3, 4, 42; nescio in Horatii libris cum acc. c. inf. junctum non legitur praeter locum, de quo supra copiosius disseruimus C. 3, 27, 73; aliis locis enuntiatio interrogativa ex verbo nesciendi pendet. Memini: carmina Livi, memini quae plagosum mihi parvo Orbilius dictare Ep. 2, 1, 70; memor certis medium et tolerabile rebus recte concedi Ep. 2, 3, 369; obliviscor: oblitum quanto curam sumptumque minorem haec habeant, tanto reprehendi iustius illis S. 2, 4, 85 et 86; negligis (i. e. nihili facis, parvi putas, oblivisceris) immeritis nocturam postmodo te natis fraudem committere? C. 1, 28, 30 et 31. — Fido uno tantum loco cum acc. c. inf.: fidis enim manare poetica mella te solum Ep. 1, 19, 44; diffido plane deest; de verbo confidendi participium praesentis „confidens“ adjectivi vim gerens legitur.

b) dicendi: aio hac mente laborem sese ferre aiunt S. 1, 1, 32; velle loqui te aiebas mecum S. 1, 9, 68; nil ait esse prius, melius nil caelibe vita Ep. 1, 1, 88; vos sapere et solos aio bene vivere Ep. 1, 15, 45; notatu dignum est: vir bonus et sapiens dignis ait esse paratus Ep. 1, 7, 22, de qua libertate dictionis poeticae vide supra ad C. 3, 27, 73; cf. Vergil. Aen. 2, 25: nos abiisse rati et vento petiisse Mycenae. — dico sedecim locis cum infinitivo et accusativo subjecti junctum legitur, notandum videtur Ep. 1, 8, 3: „si quaeret quid agam, dic multa et pulchra minantem vivere nec recte nec suaviter“, quo loco accusativus subjecti, qui ex propinquo: „quid agam“ facile suppletur, deest; huc pertinere videntur hi duo loci: multa Cicirrus ad haec [scil. dixit] . . . scriba quod esset, nilo deterius dominae jus esse S. 1, 5, 67, solem Asiae Brutum appellat stellaque salubris appellat comites, excepto Rege; Canem illum, invisum agricolis sidus venisse S. 1, 7, 24—26 et C. 3, 16, 5—8; illo enim loco ex praecedenti verbo appellandi, hoc ex praecedenti verbo ridendi suppleri potest verbum aliquod dicendi; nota denique: dic properet C. 3, 14, 21; dictito: Ep. 2, 1, 18—27; clamor: mille ovium insanus morti dedit, inclitum Ulixen et Menelaum una mecum se occidere clamans Sat. 2, 3, 198; clament periisse pudorem cuncti paene patres Ep. 2, 1, 80; idem si clamat furem (scil.: „me esse“ G. T. Krueger). neget esse pudicum, contendat laqueo collum pressisse paternum Ep. 1, 16, 37; quamvis nocturnos iures (= contendas) te formidare tepores Ep. 1, 18, 93; qui nullos me adfirmo scribere versus Ep. 2, 1, 111; — loquor etsi saepe in Horatii libris legitur tamen uno tantum loco cum inf. et acc. subjecti: Ep. 1, 20, 21; narro cum acc. c. inf. his locis: C. 3, 7, 17; S. 1, 6, 60; Ep. 1, 13, 16; Ep. 1, 7, 55; refero ut . . . C. 3, 7, 13—16; et priores hinc Lamias denominatos ferunt C. 3, 17, 2; induco (= fingo): Terenti fabula quem miserum gnato vixisse fugato inducit S. 1, 2, 22; indico: me sacer paries indicat suspendisse C. 1, 5, 15; canto: cantemus Augusti tropaea Medumque flumen gentibus additum

victis minores volvere vortices . . . C. 2, 9, 19—24; doceo: huic ego vulgus errori similem cunctum insanire docebo S. 2, 3, 63; dum doceo insanire omnes S. 2, 3, 81; post hoc me docuit, melimela rubere minorem ad lunam delecta S. 2, 8, 31; fateor: jura inventa metu iniusti fateare necessest S. 1, 3, 111; me cum magnis vixisse invita fatebitur usque invidia S. 2, 1, 76; etenim fateor me duci ventre levem S. 2, 7, 38; nil oriturum alias, nil ortum tale fatentes Ep. 2, 1, 17; quae imberbi didicere, senes perdenda fateri Ep. 2, 1, 85; — scribo: post paulo scribit sibi milia quinque esse domi chlamydem Ep. 1, 6, 43; nego quis neget relabi posse rivos C. 1, 29, 11; cum referre negas S. 1, 6, 7; ut magna dolo factum negat esse sui pars S. 1, 6, 90; qui se voltum ferre negat Noviorum posse minoris S. 1, 6, 121; jura neget sibi nata Ep. 2, 3, 122; melius te posse negares Ep. 2, 3, 439; accusativus subjecti deest idque eiusdem: quid Paris? ut salvus regnet vivatque beatus, cogi posse negat Ep. 1, 2, 11; alius: idem si clamat furem (sc. me esse), neget esse pudicum Ep. 1, 16, 36; persuadeo: dum flamma sine tura liquescere limine sacro persuadere cupit S. 1, 5, 100; persuades hoc tibi vere, ante potestatem Tulli . . . multos saepe viros nullis maioribus ortos et vixisse S. 1, 6, 11; persuadet uti mercetur agellum Ep. 1, 7, 81; vineo, evineo: vincet enim stultos ratio insanire nepotes S. 2, 3, 225; si puerilius his ratio esse evincet amare S. 2, 3, 250; (Fritzsche). Denique hic adiciantur duo loci, quibus verbum dandi in significationem concedendi transit: si das hoc, parvis quoque rebus magna iuvare Ep. 2, 1, 125; accusativo subjecti omisso: dederim quibus esse poetis S. 1, 4, 39 (alii: poetas.)

Spero cum accusativo c. inf. fut. nusquam legitur nisi in libris satirarum et epistolarum: S. 2, 3, 99; Ep. 2, 1, 226; cum verbo „posse“ junctum: S. 1, 2, 109 et 110; Ep. 2, 3, 150; Ep. 2, 3, 331; cum duplici accusativo et objecti et praedicati: C. 1, 13, 14; nota deinde: haec Jovem sentire deosque cunctos spem bonam certamque domum reporto C. S. 74; promitto tribus locis ubique secundum legem grammaticam: C. 1, 7, 28; S. 1, 4, 103 et 6, 34; polliceor: quinque dies tibi pollicitus me rure futurum Ep. 1, 7, 1; juro: cum tu in verba jurabas mea fore hunc amorem mutuum Ep. 15, 4—10; aliis locis cum inf. praes. jungitur: S. 2, 6, 57; Ep. 1, 1, 89; Ep. 1, 18, 93 (cf. Ovid. ex P. 2, 3, 64 et 5, 54); Boeotum in orasso jurares aere natum Ep. 2, 1, 244 (jurares = jurejurando adfirmares, contenderes); minor ut supra „polliceor“ junctum cum inf. fut. legitur: parva mineris falce recisurum te S. 1, 3, 122.

Verba affectuum aut cum conjunctione „quod“ aut cum accusativo c. inf. jungi constat; utriusque structurae apud Horatium satis multa exempla exstant; junguntur enim cum conjunctione quod: laetor, rideo, felicem dico, laudo, magnum duco, irascor, sollicitus sum, ardens saevio, tabesco (invidia livore); cum acc. c. inf.: miror, ploro, gemo, lamentor, fleo, doleo, indignor, invideo; verbum gaudendi et querendi utrumque sequitur: praeterea aliae structurae nonnullorum, quae enumeravimus verborum inveniuntur. Verba accusandi (accuso, incuso, insimulo, arguo, coarguo, convinco, arcesso, postulo) et damnandi (damno, condemno) apud Horatium per casum plane desunt praeter damno, postulo, quorum structura huc non pertinet. gaudeo: quae poscente magis gaudeat eripi C. 2, 12, 27 (cf. Aeneas oblato gaudens componi foedere bellum Vergil. Aen. 12, 109); gaude quod spectant oculi te mille loquentem Ep. 1, 6, 19; laetor uno tantum loco: incolumis laetor quod vivit in urbe S. 1, 4, 98. rideo quod S. 1, 4, 91; felicem dico: ita te felicem dicis amasque quod nusquam tibi sit potandum S. 2, 7, 32; felicem dicere non hoc me possim casu quod te sortitus amicum S. 1, 6, 52; laudo: at idem, quod sale multo urbem defricuit, charta laudatur eadem S. 1, 10, 3 et 4; magnum duco: magnum ego hoc duco, quod placui tibi S. 1, 6, 62; admiror semel cum interrogatione dependente (S. 1, 4, 99); bis cum accusativo objecti (S. 2, 6, 57 et 58; Ep. 1, 6, 1) nusquam sic junctum legitur,

ut huc pertineat) miror. Hoc verbum Horatius saepissime cum πρότασι conditionali junxit idque in libris sermonum et epistolarum, nusquam in carminum libris: S. 1, 1, 86; Ep. 1, 12, 12; 15, 39; 17, 26; 2, 3, 424 et 425; similiter: quid mirum, ubi (= si) demittit belua centiceps aures . . . ? C. 2, 13, 33; nota deinde: mirum quod foret omnibus . . . ut tuto ab atris corpore viperis dormire et ursis, ut premerer . . . C. 3, 4, 13—20; mirabimur, ut . . . 16, 53; cum acc. c. inf.: S. 2, 3, 27 (omisso verbo auxiliari esse: miror morbi purgatum te illius) Ep. 2, 1, 72; C. 2, 13, 30; nusquam miror cum conj. „quod“ junctum legitur. queror cum acc. c. inf.: S. 2, 3, 55; Ep. 1, 7, 49; cum conj. quod: Ep. 2, 2, 24; huc pertinet quoque substantivum verbale questu junctum cum conj. quod: non sine questu (= querens) quod . . . C. 1, 25, 16—18; illae duae structurae junctae leguntur in Ovid. Trist. 5, 10, 47 et 48: quod patriae vultu vestroque caremus, amici, atque hic in Scythicis gentibus esse queror, omisso insuper accusativo subjecti „nos“ quod facile ex praecedenti „caremus“ suppleas. ploro: ploravere suis non respondere favorem speratum meritis Ep. 2, 1, 9; qui queritur saebras et acerbum frigus et imbres aut cistam effractam et subducta viatica plorat Ep. 1, 17, 53 et 54; gemo: sulfura contemni vicus gemit Ep. 1, 15, 7; paucis ostendi gemis Ep. 1, 20, 4 hic locus memoratu dignus est propter omissum accusativum subjecti. lamentor c. acc. c. inf.: Ep. 2, 224; fleo: periscelidem raptam sibi flentis Ep. 1, 17, 56; heu quotiens fidem mutatosque deos flebit et aspera nigris aequora ventis emirabitur insolens C. 1, 5, 5—8; cum hoc loco confer Vergilianum Aen. 5, 614: amissum Anchisen flebant; doleo: nonne cupidinibus statuat natura modum quem, quid latura sibi, quid sit dolitura negatum quaerere plus prodest S. 1, 2, 111—113; omisso accusativo subjecti: non hydra secto corpore firmior vinci dolentem crevit in Herculem C. 4, 4, 62 (quem locum jam supra B. 1 s. v. nolo attulimus). Graecorum more est dictum: injecta monstris terra dolet suis (ἄλθομαι ἀδινῶναις Nauck) C. 3, 4, 73. — „indigne, aegro, moleste fero“ desunt et Horatio et Vergilio; indignor quicquam reprehendi Ep. 2, 1, 76; locum omisso subjecti accusativo memorabilem Ep. 2, 3, 90 eadem de causa qua locum paulo ante laudatum: C. 4, 4, 62 jam supra B. 1) verbo „nolle“ ascripsimus; cf. Ovid. Trist. 4, 10, 103: indignata malis mens est succumbere; cum conj. quod junctum ibidem: indignor quod sum tibi causa doloris 3, 33. irascor (iratus) quod S. 2, 3, 3; sollicitus quod S. 1, 6, 119; denique huc referendi sunt hi loci: at pater ardens saevit quod meretrice nepos insanus amica filius uxorem grandi cum dote recuset S. 1, 4, 49; invideo: quae invideant pure adparere tibi rem S. 1, 2, 100; C. 1, 37, 30 jam supra B. 1) eodem loco, quo locos paulo ante laudatos C. 4, 4, 62 et Ep. 2, 3, 90 apposuimus. tabesco: quodque aliena capella distentius uber, tabescat S. 1, 1, 110 et 111.

Verba voluntatis, quae dicuntur jubeo α) aliquem aliquid facere: C. 1, 19, 2; S. 1, 1, 104; S. 2, 3, vv. 35, 101 et 148; 5, 20; 7, 32 et 33; Ep. 1, 5, 17; 6, 59; 7, 66; 10, 1; 2, 3, vv. 252, 317, 420; subjectum infinitivi facile suppletur his locis: ludere doctior seu Graeco iubeas trocho seu malis . . . seu Graeco iubeas illum [i. e. ingenuum puerum] ludere trocho seu . . . C. 3, 24, 54—58. Quid facias illi? iubeas miserum esse (scil. illum) S. 1, 1, 63; abeo, et revocas nono post mense iubesque (scil. me) esse in amicorum numero S. 1, 6, 61; an lre atque togam iubeo componere (scil. illum) quisquis . . . S. 2, 3, 77; tantum maledicit utrique vocando hanc Furiam, hanc aliud, iussit quod (sc. eum vocare) splendida bilis ibid. 141; S. 2, 5, 38; Ep. 1, 17, 8. β) „jubeo aliquid facere“ hanc structuram qua subjectum verbi dependentis omittitur, in oratione numeris soluta in genus passivum verti solere idque maxime cum verbum dependens transitivum est, grammatici omnes docent, cuius in passivum versae in Horatii libris duo tantum Ep. 5, 17—24 et S. 2, 3, 148 inveniuntur et ex Vergilio tres tantum loci laudantur: Aen. 2, 147, 5, 359, 772, illius vero apud Ho-

ratium haud minus septem lique paene omnes cum accusativo objecti verbi transitivi leguntur sunt autem hi loci: huc vina et unquenta et nimium breves flores amoenae ferre iube rosae C. 2, 3, 14; leges oppida publico sumptu iubentes et deorum templa novo decorare saxo C. 2, 15, 18—20; Corvino iubente promere languidiora vina C. 3, 21, 7 et 8; magnum pauperies opprobrium iubet quidvis et facere et pati C. 3, 24, 42 et 43; nam si natura juberet a certis annis aevom remeare peractum atque . . . S. 1, 6, 93—96, non quo mores piris vesci Calabris iubet hospes, tu me fecisti locupletem Ep. 1, 7, 14 et 15; delere iubebat et male tornatos ineudi reddere versus Ep. 2, 3, 440. poetae videntur maluisse dicere „iubeo aliquid facere“ quam „iubeo aliquid fieri“ (vide Madvig. gramm. lat. §. 390. adnot. 3.) γ) Aliae structurae verbi iubendi: „iubeo ut facias“ et „iubeo facias“ ut in oratione numeris soluta perrarae sunt, ita hic et illic apud poetas leguntur; in Horatii libris „iubeo ut“ legitur uno loco S. 1, 4, 121: Fritzsche ad hunc ex Cicerone affert: Verr. 2, 4, 27; cui loco adiciendi sunt, quos Draeger synt. hist. §. 389. affert: Verr. 2, 67; 4, 12, 28; qui idem ex Vergilio laudat. Ecl. 5, 15' atque in Ovidii libris structurae „iubeo ut“ nullum, contra „iubeo facias“ quinque locos se invenisse dicit, quos singillatim apponere mihi liceat: iubeo, queras ex P. 3, 1, 141; nec dominam iubeo pretioso munere dones Ars Amat. 2, 261; extincti iube Ceycis imagine mittat somnia . . . Metam. 11, 587; lenta iube scabra frangat asella mola Medic. Fac. 58; di, precor, hoc iubeant, ut euntibus ordine fati ille meos oculos comprimant, ille tuos. Heroid. 1, 101, unde elucet, structura „iubeo ut facias“ uno saltem loco usum esse Ovidium. (Zumpt §. 617. Impero absolute positum C. 3, 6, 5; Ep. 1, 2, 63 et 10, 47; cum acc. objecti pron. gen. neutr. S. 2, 1, 51; cum nom. et inf. (vide infra): Ep. 1, 5, 21.

Veto a) cum infinitivo positum accusativo eius qui vetatur quid facere omisso: quamquam ridentem dicere verum, quid vetat S. 1, 1, 25; tabulas peccare vetantis Ep. 2, 1, 23; b) veto cum accusativo personae et infinitivo verbi transitivi: C. 1, 4, 15; Ep. 14, 6—8; S. 1, 10, 32 et 56; duobus locis C. 1, 6, 9—12: „conamur tenues grandia, dum pudor imbellisque lyrae Musa potens vetat [scil. nos] laudes egregii Caesaris et tuas culpa deterere ingenii Ep. 2, 3, 135: nec desilies imitator in artum unde pedem proferre pudor (scil. te) vetet aut operis lex“ accusativus objecti facile suppletur; c) cum accusativo personae et infinitivo verbi intransitivi: Teque nec laevus vetat ire picus nec vaga cornix C. 3, 27, 15; C. 4, 8, 28; S. 1, 8, 7; Ep. 2, 1, 228. d) cum acc. personae et inf. verbi passivi: avarum cum veto te fieri S. 1, 1, 104. e) veto ne: S. 2, 3, 187; Ep. 2, 1, 239; veto ut: sive iubebat ut facerem . . . sive vetabat S. 1, 4, 121—124; f) vetabo, qui Cereris sacrum volgarit arcanae, sub isdem sit trabibus fragilemve mecum solvat phaselon C. 2, 3, 1, 26—29.

volo apud Horatium cum acc. c. inf. junctum secundum legem grammaticas satis multis locis legitur, quibus subjectum verbi regentis et verbi pendentis non idem est: C. 1, 27, 9; 2, 12, 14; S. 1, 10, 89; 2, 3, 91; Ep. 1, 2, 60; 7, 3; 18, 28 et 108; 2, 2, 79 et 80; Ep. 2, 3, 102; Ep. 2, 3, 339 (ne quodcunque volet [scil. sibi credi] poseat fabula sibi credi), uno loco subjectum verbi regentis et pendentis idem est: hunc ego me non magis esse velim Ep. 2, 3, 36; cum duplici accusativo et objecti et praedicati: non uxor salvum te volt, non filius S. 1, 1, 84; tene magis salvum populus velit an populum tu Ep. 1, 16, 27. cf. Vergil. Aen. 1, 626: se ortum antiqua Teucrorum ab stirpe volebat. Denique cum conjunctivo verbi pendentis: vellem in amicitia sic erraremus et isti errori nomen virtus posuisset honestum S. 1, 3, 41 et 42; musa velim memores S. 1, 5, 53; quid faciam vis? Ep. 2, 2, 57.

nolo cum acc. et inf.: nolis longa ferae bella Numantiae . . . aptari citharae modis C. 2, 12, 1 seqq.; nolim laudariet sic me S. 1, 2, 35 et proce-

dere recte qui moechos non voltis ibid. 38; lex poenaeque lata malo quae nollet carmine quemquam describi Ep. 2, 1, 153.

